...thiae et alior: Quaestio
ad c. ult. de transact. et l. 3 et 4. etc.

QVÆSTIO
ad
c.vlt. De Transact. & l.3. & 4. C. Ex quib. caus. infam: irr.

A

M. Mathia Bielawski Phil: Doct: & Professore.
Thoma Iabłoński Art: & Phil: Bacc.
Ioanne Scheliha de Rzuchau.
Laurentio Matthæide Lesnicensi.

Publicè ad disputañ: pro assequenda prima in IVRIDICA Facultate laurea, in Coll: D.D. IVRISC. proposita.

Præsidente Clarissimo D. M. Thoma Eustachio à Piątek, I.V. Doctore & Professore.

Disputabitur die 27. Martii, Hora 13.

CRACOVIÆ,
Apud Viduam Iacobi Sibeneycher, 1608.

IN ARMA,

Admodum Reuerendi Domini Stanislai SIECINII &c.



Cornibus armatur fera, vitam cornibus altis
Seruat, & armigeris fit metuenda viris.
His tu Siecini verè ſtas fortis in armis,
Dogma malũ feriens, dogma bonumq́: fouens.

Admodum Ren^do^ Dño

D. STANISLAO SIECINSKI, CRACouien: Posnanien: Połtouien: Præposito, &c. &c. Sac: Reg: M^tis^ Secretario, Domino & Patrono Salutem & Felicitatem.

ACCEPTVRI PRIMOS IN VTROQ. IVRE SOLlenni ritu honores, non tam ipsos (etiamsi quacunque ratione contingant vehementer delectent) quam causam ob quam decerni solent magnifaciendam esse duximus Mereri enim honorem, omni honore antiquius & prius esse arbitramur. Ideoq; vt argumento aliquo ostenderemus nos meruisse quod petimus, Quæstionem non mediocris difficultatis ex media Iurisprudentia petitam, sub Amplissimo Nomine tuo, ingenii & studii nostri viribus, propugnandam in publicum prodire, Teq; Patrono & Fautore in eo negotio vti decreuimus. Nescimus enim quo pacto in studiis homines timor magis quam fiducia tenet, credimus non aliam ob causam nisi quod recta ingenia debilitat verecundia, praua confirmat audacia. Ideo præclarè consultum nobis fore in eo timore putauimus, si authoritate tua, quam ingentem, ex ingenii & virtutum Tuarum laudibus es consecutus, tanquam clypeo muniti, in hanc literariam pugnam maiori cum fiducia descenderemus. Quem enim potius in nostris studiis appellaremus, quam te qui & vir Optimus & Iurisconsultissimus es? ob idq; inter præcipua Aulæ ornamenta numerandus, Studia colis, Studiosos amas, foues, prouehis, Academiamq; nostram toto pectore complecteris. Quam autem vicem Tibi nostræ literæ redderent, quas tantopere diligis, nisi testatum relinquerent, Non posse nomen tuum occidere, cui æternitas ex veris virtutum meritis debeatur. Quod si tui similes multos esse per iniquitatem temporum liceret, optime prospectum studijs non nostris modo Iuridicis, sed qui-

ſed quibuſuis alijs eſſet, nec literati viri in ſuis rebus perfugio & receptu carerent. Hanc igitur mentem vt in te Deus Opt. Max. nobis Academiæq; noſtræ conſeruet & augeat noſtra præcipua vota ſunto. Namq; inprimis pulchrum nobis eſt, Te tantum virum pati de ſplendore tuo aliquantum in noſtrum hunc Academicum honorem, qui nobis decerñr deriuari, Indulgentia tua credimus non negabit, quod Bonitas tam diu perſuaſit. Quod ſupereſt noſtra ſtudia ac noſmetipſois vti in animo deſtinauimus Tibi deuouemus, Deumq; precamur, vt Tibi, & per Te nobis, omnia proſpera contingant. Vir ampliſsime Vale. Crac. è Contubernio Iuriſtarum X. Kal. April. M. DC. IIX.

Admodum Reñdæ D. Vŕæ

Deditiſsimus

M. Mathias Bielawski
Philoſoph: Doct: & in
Acad: Crac: Profeſsor,
I. V. C.

QVĘSTIO
ad
c. vlt: De Transact: & l. 3. & 4. C. ex quibus cau: infam: irr.

V. Iudex legitima causa interueniente, citra scrupulum conscientiæ & suspicionem contemptæ authoritatis legum, pœnam ordinariam delicti vi aut fraude commissi, legibus præscriptam et approbatam, pro varietate circumstantiarum occurrentium augendo vel minuendo mutare poßit nec ne?

Conclusio I.

Iudex omnia citra scrupulum conscientiæ & suspicionem contemptæ authoritatis legum facere debet.

COROLLARIA.

Iudex cui datur absoluta facultas pro arbitratu iudicandi, non adstringitur ad exactam obseruantiam legum.

Iudex deficiente lege, iudicare debet secũdum con-

ſuetudinem rationabilem, binis actibus iudicialibus ad minimum cum lapſu decēnii prȩſcriptam.

Idem ſentiēdum de actibus extraiudicialibus, dummodo tales ſint vt ex iis de tacito viciſsim conſtet populi conſenſu.

Litem ſuam iudex faciens per imprudentiam, obligabitur parti ad intereſſe, iuxta arbitrium boni viri: ſciens autem, ſuper hæc etiam infamiæ ſubiacebit.

Ne per impunitatem portæ ad ſcelera aperiantur, & leges in contemptum adducantur, ſæculari iudice in notoriis negligente exiſtente, Eccleſiaſticus iuriſditionem eius ſibi aſſumere, negligentiamque ſupplere debet.

Legem contemnit qui verba legis complexus, contra eius nititur voluntatem.

Concluſio II.

Pœnarum capitalium & certorum delictorum certos eſse gradus, indubitati iuris est.

COROLLARIA.

Pœnarum variæ ſpecies inuentæ ſunt ad emendationem delinquentium.

Pœnas

Pœnas ob maleficia ſolui magna ratio ſuadet, vt quos bonorum exempla à malis non reuocant, pœna caſtiget.

Pœnam fori & poli pro eodem delicto infligi poſſe, abſurdum non eſt.

Caſualia & non præmeditata delicta minus puniendа ſunt.

Pœna legum diſpoſitione præſcripta copulatiuè, vtraque infligenda eſt.

Pœna legum diſpoſitione alternatiuè ſancita, in iudicis eſt electione.

Concluſio III.

Iudex tuta conſcientia & legum authoritate ſalua, causâ cognitâ, pro varietate circumſtantiarum occurentium, pœnam ordinariã delicti legibus taxatã, augẽdo vel minuendo mutare poteſt.

COROLLARIA.

Iudex etſi regulariter non poſsit quidquam addere vel minuere poſt ſententiam definitiuam: tamen ſi eam ex poſt facto erroneam & iniuſtam eſſe cognouerit, ſubtiliter procurare tenetur ne ad exequutionem deducatur; ſiue ſit interpoſita appellatio, ſiue non.

Inter-

Interpretatione legum pœnæ molliẽdæ sunt potiùs quam exasperandæ.

Hinc est quod iudex anceps animi propter legum obscuritatem, aut pœnarum vnum idemque delictum concernentium varietatem, semper in mitiorem & humaniorem declinabit partem.

Excommunicatio duntaxat indefinitè prolata, de maiori non minori intelligenda.

Pœna ordinaria cessat, vbi quis ex sola propria confessione & ea qualificata punitur.

Pœna apposita in vno correlatiuorũm, non extenditur ad aliud.

ciùs

um
de-
ni-

de

on-

en-